



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

De ratione recipiendi eos qui saluis dogmatibus fidei, & ecclesiae legibus,  
a nobis recesserunt, & postea redeunt. Capvt XXXII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

fecerit, accipiat eum episcopus, vel sacerdos, ad cuius potestatem pertinet, & vngat eum vñctione chrisimatis, & signet ter vngendo, & orando super eum \* orationem Dionysii Arcopagitæ, & fiat oratio ad Deum pro eo deuote, vt recipiat eum. Et postea erit particeps diuinorum sacramentorum & communionis, per quam fit remissio peccatorum. Si autem is in quo hæc facta sunt, fuerit episcopus, manebit post conuersionem suam in gradu presbyteri; si presbyter, in gradu diaconi; si diaconus, in gradu hypodiaconi; & similiter in reliquis deinceps, vt ad gradum inferiorem descendat.

Dionysii  
Arcopag.  
citatus in  
Syn. Nic.

Huic Canoni testimonium tribuit S. Athanasius, qui in epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ, & in epist. ad episcopos Africæ scribit patres Nicænos edidisse in Concilio perfectam fidei confessionem, & anathematizasse omnes hæreses, & inter eas Arianam. vtrumque est in hoc Canone. est autem renouatus, & denuo sancitus hic Can. in Syn. Const. Can. 7.

\* Oratio quam dicit Dionysii Arcopag. est in Canone Græco 7. Syn. Const. *σφραγίς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου*, id est, obsignatio, siue sigillū doni Spiritus sancti. Quod vero est hic de vngendo istos chrisimate, non est necesse accipere de sacramento confirmationis, vt accepit Bessarion in libello de eucharistia; siquidem ad multa alia vtitur ecclesia secundum apostolicam traditionem vñctione chrisimatis, vt in benedictione siue sanctificatione aquæ baptismi & altaris, & in ordinatione, & in aliis.

*De ratione recipiendi eos qui saluis dogmatibus fidei, & ecclesia legibus, a nobis recesserunt, & postea redeunt.*

### CAPVT XXXII.

Sed qui fuerunt ex secta Caguadanorum, aut Cabariorum, aut Taimainorum, non necesse est eos vngi, nec iterum baptizari, neque gradu suo moueri; sed potius redire oportet ad eisdem gradus, & recipi cum orationibus, quas supra diximus; orandumque pro eis, ac præcipiendum eisdem vt abhorreant ab iis in quibus antea fuerunt.

ANNO  
CHRISTI  
335.

Sic agendum est cum quocumque qui a vera fide non vacauit, & qui baptismum & leges ecclesiæ retinuit, sicut alii Christiani; & qui ex istis clericus fuerit, si non mutauerit scripturam, neque deserit festos dies celebrare; qui eiusmodi fuerint, non sunt annumerandi infidelibus & Iudæis, quia non negauerunt nos, sed nobis propter iram & indignationem aduersati sunt: & quicumque contradixerit, excommunicetur.

Huiusmodi fuerunt Audiani, sic dicti ab Audio quodam, temporibus Arii, de quo sanctus Epiphanius libro tertio, hæresi 70. qui cum sodalibus suis nihil, inquit, habebat in fide diuersum, sed rectissime credebat. Audiani non deserunt festum Pascha celebrare, licet per errorem cum Iudæis azymorum dies agerent. Istos credo corrupte vocari in hoc Canone Caguadanos. tales etiam fuerunt Meletiani, Meletii Ægyptii sectatores, de quo idem Epiphanius libro secundo, hæresi 68. non est, inquit, immutata fides ipsius aliquo tempore a sancta ecclesia catholica. Fortasse etiam corrupte legitur in hoc Canone Taimainorum, pro Meletianorum.

*De loco patriarchæ resistendo, & de honore episcopo Hierosolymitano & Seleuciæ habendo.*

### CAPVT XXXIII.

Patriarcha sit in ciuitate regia, vt sit honori ipsi & regi, & aliis simul presbyteris. Honoretur etiam episcopus Æliæ plusquam alii episcopi, quia ipse residet in sancta ciuitate, vnde crux Dei Domini nostri cœpit, & vbi est locus \* iudicii. Honoretur quoque similiter sedes Seleuciæ, quæ est ex ciuitatibus orientalibus, qui debeat etiam appellari nomine catholici; & possit is ordinare archiepiscopos, sicut faciunt patriarchæ, vt orientales non patiantur damnum expectando patriarcham Antiochiæ, aut eundo ad eum, & gentiles reperiant viam ad necessitates suas: quia in hoc